

pertinent animarum, cum maxima debeat diligencia procurari, vobis universis et singulis districte precipiendo mandamus sub juramenti vinculo et pena et banno in personis et avere nostro arbitrio auferendo, quatenus latoribus presencium, fratribus vel nunciis domus et milicie sancte Marie Yerosolimitane sanctissime Theotunicorum, qui pro dei reverencia et domini pape licencia, prout per privilegia suo sigillo munita plene patebat videre volentibus, ad petendum et denunciandum omnibus in subsidium terre sancte, quam dominus suo proprio consecravit sanguine, crucem sumere voluerint in remissionem omnium suorum peccatorum nec non de usuris, rapinis et alia quo-cunque modo inilicite aquisita et testamentis omnibus, que non sunt in locis vel personis alicuius deputatis et de redentionibus votorum viarum omnium, que quidem dominus papa militie sancte Marie predicte sanctissime domui concessit de gracia speciali, ut in prefatis^{a)} privilegiis continentur diversa, pro subsidiis^{b)} postulandis circa civitatis^{c)} regiones consilium, auxilium et juvamen liberaliter cum summa^{d)} diligencia tribuatis congregantes gentes omnes de terris vestris, homines et mulieres, tam minores quam maiores, ad eorum voluntatem ad sonum campane et voce preconum ad ea, que dicere et proponere voluerint, inter eos pacifice et quiete audiendum, similiter et devote custodiendo personas et res eorum benigne, diligenter ac fideliter, sicut decet, prebendo eisdem de terra in terram securum transitum et conductum. Ad hec igitur totaliter adimplendum, sic existatis vigiles et intenti, quod ipsi nunci auxilio dei dampnum aliquod vel injuriam non incurvant in rebus aliquibus vel personis eorum vosque exinde possitis merito comendari, et si quis contra mandatum hoc quid atentare presumpserit irridendo ipsos vel clamando in parlamento eorundem, nostram et communis Bononie indignationem incurret, vos quoque, terrarum potestates, capitanei, vicarii, consules, magistri, rectores et nuncii, injuriantes eisdem in terris vestris sub penam, quam vobis auferre vellemus, ut in continenti sine mora post latam ipais injuriam nobis vel nostris potestatibus nuncietis, in personis nisi concordiam fecerint cum dictis nunciis pena debita puniendos ad nostram voluntatem. Si quis autem contra mandatum hoc attentare presumpserit, nostram et communis Bononie indignationem incurret in avere et personis pena gravissima puniendus. Ut autem scriptum presens robur firmitatis optineat et fidei plenioris, ipsum fecimus communis nostre. sigilli munimine roborari. Has itaque litteras penes portatores volumus semper esse quo-cunque voluerint^{e)} deferandas.

Data in pallacio communis Bononie anno domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto. Indictione octava. Die tertio decimo intrante mense Januarii.

Venedig, Archivio di Stato. Atti dipl. misc. Busta 2, n. 58 B.

^{a)} Msc. prenatis. ^{b)} susidiis. ^{c)} civitates. ^{d)} sic. ^{e)} voluerint.